

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1698

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1263, 7 février

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation, par l'official d'Évreux, de la vente faite par Guillaume, abbé d'Ivry, aux religieux de Beaumont.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° XLI, p. 39-40.

Texte établi d'après a

Viro venerabili et discreto officiali Ebroicensi, Guillelmus, permissione divina, monasterii Beate Marie de Ybreio minister humilis, et ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Noveritis quod nos dilectum monacum nostrum Johannem de Ybreio, latorem presencium, nostrum constituimus procuratorem ad recognoscendum et confitendum in jure coram vobis, nomine nostro, venditionem et Concessionem factam a nobis viris religiosis priori et conventui Sancte Trinitatis de Bellomonte Rogeri de vineis quas habebamus in Francia, sitas inter Vaus et Triel, necnon ad omnia et singula recognoscenda et confitenda nomine nostro que in carta super venditione predicta confecta, sigillis nostris sigillata, plenius continentur, ratum et gratum habituri quicquid dictus procurator loco nostri et nostro fecerit et dixerit super predictis coram vobis. In cuius rei testimonio, presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> secundo, in crastino sanctorum Vedasti et Amandi. Valete in Domino.  
Omnibus hec visuris Officialis Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis nos litteras religiosorum virorum abbatis et conventus Beate Marie de Ybreio, Ebroicensis dyocesis, sigillis eorumdem sigillatas, ut prima facie apparebat, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte sui viciatas, vidisse et inspexisse die Mercurii post Purificationem Beate Marie Virginis, anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>., sexagesimo secundo, in hec verba.....

(Le ms. reproduit ici le texte de l'acte SCRIPTA 1697)

Qua die, dictus abbas pro se personaliter, et frater Johannes de Ybreio, monachus dicti loci, procurator dicti conventus, per litteras ejusdem conventus habens potestatem generalem et mandatum speciale ab eodem conventu recognoscendi coram nobis in jure omnia et singula, que in carta sive in littera dictorum abbatis et conventus super venditione dictarum vinearum continentur ; et nos dictum abbatem presentem in jure coram nobis et in hoc consensercentem, et dictum Johannem, procuratorem dicti conventus, procuratorio nomine, ad omnia premissa et singula fideliter observanda, per confessiones ipsorum in jurefactas coram nobis, condemnamus. In cuius rei testimonium et munimen, nos ad petitionem dictorum abbatis et procuratoris, una cum sigillo dicti abbatis, presentibus litteris sigillum curie Ebroicensis aposuimus. Datum die et anno supradictis.